RECTOR

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNVM MDCCCXXXVI

INDICIT.

G. Hermann

CAL. NOVBR. A. MDCCCXXXV.

Praemissa est dissertatio de Aeschyli trilogiis Thebanis.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Aeschyli tragoediam cui Septem ad Thebas nomen est partem cuiusdam trilogiae fuisse ex ipsa ista fabula eo cognoscitur, quod in ea respicitur ad aliam quae praegressa sit tragoediam. Non dico exsecrationem, qua Oedipus filios suos devovit, commemoratam saepissime, v. 661. 701. 715. 729. seqq. 772. 791. seqq. 808. 839. 847. 892. 899. 904. 952. nam et notissimae erant hae dirae et dictae multo ante: unde v. 772. *παλαίφατοι* vocantur: sed somnium intelligo Eteoclis de dividunda hereditate paterna, cuius somnii quum ille tamquam noti mentionem faciat v. 716. his verbis,

ἄγαν δ᾽ ἀληθεῖς ἐνυπνίων φαντασμάτων
ὄψεις πατρῴων χρημάτων δατήριοι·

expositum de eo esse debuit in ea quae praegressa erat tragoedia. Quae vero cum Septem ad Thebas coniunctae fuerint fabulae a veteribus quidem non est traditum. Ego quod in dissertatione quae est de compositione tetralogiarum p. 11. (Opusc. vol. II. p. 314. s.) coniiciebam, etsi Septem ad Thebas mediae tragoediae speciem habere viderentur, tamen fortasse tertiam fuisse, praegressis Laio et Oedipode, id vix defendi posse postea intellexi. Fr. Th. Welkerus, qui in libro quem de trilogia scripsit Laium, Sphingem, Oedipum una commissione coniunxit, praeter hanc duas alias de rebus Thebanis trilogias ab Aeschylo factas existimavit. Earum in priore p. 359. fuisse affirmat Nemeam, Septem ad Thebas, Phoenissas: quippe neminem suspicaturum, chorum Phoenissarum ad alias quam ad Thebanas res pertinere potuisse. Non illud ego quidem suspicer, sed hoc potius, Euripideum inventum esse Phoenissarum chorum, Aeschylum vero non tam ex longinquo neque casu praesentes qui chorum agerent adducturum fuisse. Quin ne certum quidem est, scripsisse Aeschylum tragoediam quae dicta fuerit Phoenissae. Nam praeterquam quod illud nomen non est in indice fabularum, Pollux qui solus eam memorat, quum omnino non opti-

mus auctor est, tum hoc in testimonio ipse suam fidem elevat. Scribit ille VII. 91. ἃ δὲ πόδεια Κριτίας καλεῖ, εἴτε πίλους αὐτὰ οἰητέον εἴτε περιειλήματα ποδῶν, ταῦτα πέλυντρα καλεῖ ἐν Φοινίσσαις Αἰσχύλος,

πέλυντρ᾽ ἔχουσιν εὐθέτοις ἐν ἀρβίλαις.

Codex Palatinus omittit ἐν Φοινίσσαις. Sed etsi idem Pollux haec confirmare videtur II. 196. ubi dicit: καὶ ποδεῖα δὲ τοὺς περὶ τοῖς ποσὶ πίλους Κριτίας, ἃ Αἰσχύλος πέλυντρα καλεῖ: tamen X. 50. pro Aeschylo Sophoclem nominat, scribens: ἃ δὲ ὑπεῖναι δεῖ, πόδια, πίλους, πέλυντρα· οὕτω γὰρ Σοφοκλῆς τὰ πόδια καλεῖ. Tam dubia re quis non, si fabula recte nominata est, ex Phrynichi potius Phoenissis sumptum esse istum versum suspicetur, in quibus multo credibilius est eum positum fuisse, quam in fabula Oedipi res tractante? Sed Welckerus tamen p. 366. seqq. statuit, exordium fabulae Aeschyleae aut chorum Phoenissarum aut Antigonam facere; ex conclavi, in quo conclusus a filiis fuerit, caecum patrem Oedipum ab Antigona in lucem produci, expelli autem ex patria a Creonte, commigrareque cum Antigona atque adeo ipso cum choro Phoenissarum in Colonum, ibique supplicem in luco Cereris et Minervae Poliuchi ac Iovis Theseo mandata de sepultura sua dare. In Appendice Trilogiae refinguntur haec ita, ut neque occlusas fores Oedipo aperiat Antigona, neque ipse caecus sit. Haec autem ut fieri possent, qui loci in Septem ad Thebas et mortuum esse Oedipum et excaecatum fuisse arguunt, interpretando versi sunt in contrarium: sed etsi ibi p. 154. gravius notati erant qui secus statuerent, in Diurnis scholasticis a. 1832. p. 167. rursum et caecus factus est Oedipus et mortuus esse dictus. Vix opus est ut moneam, ne quis, quod nulla plane caussa fecit Schützius, ad Phoenissas referat, quod ad cognominem Euripidis fabulam v. 942. tradidit scholiastes: οἱ περιλειφθέντες τῶν Σπαρτῶν, ὡς Αἰσχύλος φησίν, ἦσαν Χθόνιος, Οὐδαῖος, Πέλωρος, Ὑπερήνωρ, καὶ Ἐχίων.

Altera trilogia in libro, qui de his rebus est, habet Eleusinios, Argivos, Epigonos. De Eleusiniis, excepto uno quod reliquum est verbo, nihil aliud ab antiquis acceptum habemus, quam quod Plutarchus refert, Theseum non vi et armis, sed suadendo factisque induliis effecisse ut Adrasto redderentur ducum corpora ad Thebas caesorum, idque ab Theseo ista in fabula esse dictum. Neque ex Argivis praeter duo solitaria vocabula unumque versum, ex quo non multum de argumento

cognosci potest, alia superest memoria, quam ut in fragmento valde corrupto, si id ex Argivis est, mentio facta sit Capanei. Denique ne ex Epigonis quidem quidquam servatum est praeter unam vocem et paucos versus ex aliquo diverbio, quibus tres libationes in coena nuptiali factae describuntur.

Non diuturnae fuerunt hae trilogiae. Nam idem Welckerus in Diurnis scholasticis a. 1832. p. 171. prioris istarum trilogiarum tertiam fabulam non potuisse aliam esse quam Eleusinios dicit, quae antea prima alterius trilogiae fuerat: Epigonos autem, quae tum illius trilogiae tertia erat, p. 229. seqq. fecit primam, quemque olim tenuerat locum, in eum introduxit Phoenissas, quae postrema fuerat prioris trilogiae. Exposuit autem Welckerus etiam argumenta fabularum deperditarum. Nobis tutius videtur antiquos quam novos auctores audire. Horum enim manent testimonia; illorum se ipsis noviora fiunt.

Videtur autem ipsa trilogiae natura postulare, ut argumentum sit unum, iustoque ab initio profectum finem quoque habeat iustum, nec tam quae res tempore sese deinceps exceperunt, quam quae ita cohaerent, ut una actio absolvatur, tribus sint partibus apte descriptae. Itaque sic, opinor, proxime verum accesserimus, si unius trilogiae argumentum in Oedipi rebus constitisse, de duabus aliis autem unam primi belli Thebani, alteram Epigonorum res gestas complexam censebimus.

Si ita est, non inepte Stanleius in commentario catalogi ad Eleusinios, quem olim sequutus erat Welckerus, coniunxit Laium, Sphingem, Oedipum. Ac Laium quidem testantur index fabularum et haec Hesychii glossa: *ἀράχνου, ἀπ' εὐθείας ὁ ἀράχνης· Αἰσχύλος Λαΐῳ.* Videtur hanc fabulam etiam scholiastes Venetus ad Aristophanis Vespas v. 288. nominasse: *διὸ καὶ Σοφοκλῆς ἀποκτεῖναι χυτρίζειν ἔλεγεν ἐν Πριάμῳ καὶ Αἰσχύλος Λάξῳ* (sic est in codice) *καὶ Φερεκράτης.* Putandus est autem Aeschylus istud verbum de Oedipo dixisse, quem recens natum exponi iusserit Laius. Etiam quod Clemens Alexandrinus Strom. II. 15. p. 462. (ed. Lips. vol. II. p. 162.) non nominato scriptore affert. *ὁ μὲν γὰρ Λάϊος ἐκεῖνος κατὰ τὴν τραγῳδίαν φησίν·*

λέληθε δ' οὐδὲν τῶνδέ μ' ὧν σὺ νουθετεῖς,
γνώμην δ' ἔχοντά μ' ἡ φύσις βιάζεται,

ex Aeschyli Laio esse Th. Gatakerus Adv. Misc. p. 529. B. coniiciebat: et fortasse ita est, etsi vere dixit Butlerus posteriorem versum magis Euripidem aut recentiorem aliquem tragicum sapere. Vt Aeschyleis usus est Sterkius in Historia Labdacidarum p. 46. Non recte vero Stanleius et Gronovius ad Aeschyli Laium referendum putabant, quod apud Harpocrationem in *μαλακίζομεν* sic scriptum legitur: *Αἰσχύλος Ἑλλαδίῳ· κεκμῆτι μαλκίων ποδί.* In isto *Ἑλλαδίῳ* non fabulae nomen, sed ipsius poetae verba latere significavi in dissertatione de Heliadibus, Opusc. vol. III. p. 139. Scribendum:

ἔλα, δίωκ᾽ ἀκμῆτι μάλκιον ποδί.

Imperativo *ἔλα* usus est Euripides Herc. fur. 819.

Sphingis, si ea fuit tragoedia, non eas habemus reliquias, ex quibus aliquid de argumento coniici possit. Hesychius: *κνοῦς, ὁ ἐκ τοῦ ἄξονος ἦχος. Λέγεται δὲ καὶ κνοή, καὶ ὁ τῶν ποδῶν ψόφος, ὡς Αἰσχύλος Σφιγγί. τινὲς δέ φασι κνοῦν τὸν ἦχον, χνόην δὲ μέρος τοῦ ἄξονος, ἡ χοινικίς.* Aristophanes Ran. 1320.

Σφίγγα δυςαμερίαν πρύτανιν κύνα.

Athenaeus XV. p. 674. D. *Αἰσχύλος δ᾽ ἐν τῷ λυομένῳ Προμηθεῖ σαφῶς φησὶν ὅτι ἐπὶ τιμῇ τοῦ Προμηθέως τὸν στέφανον περιτίθεμεν τῇ κεφαλῇ ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ, καὶ ἔτι* (sic scribendum puto pro *καίτοι*) *ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Σφιγγὶ εἰπών·*

τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανος ἀρχαῖον στέφος,
δεσμῶν ἄριστος, ἐκ Προμηθέως λόγου.

Apud Athenaeum est *στέφανον* et *λόγου.* Prius Grotius, alterum Heynius emendavit: a quo ut dissentirem in dissertatione de Prometheo soluto, Opusc. vol. IV. p. 282. potissime pravo illo *καίτοι* erat effectum.

De Oedipo tragoedia, quae et ipsa sicuti Laius et Sphinx in indice fabularum nominata est, nihil constat, nisi mystica quaedam in ea evulgata creditum esse. Veri simillimum est, argumentum idem fuisse, quod Sophoclis Oedipi Regis, ut compertis quae ignarus impie fecerat, sese excaecaret. Non debeo hic praeterire adnotationem scholiastae Sophoclis ad Oed. R. v. 733. *περὶ Δαυλίδα φησὶ τὴν σχιστὴν ὁδόν. ὁ δὲ Αἰσχύλος περὶ Ποτνίας, οὕτως· ἐπῇμεν τῆς ὁδοῦ τροχήλατον σχιστῆς κελεύθου τρίοδον, ἔνθα συμβολὰς τριῶν κελεύθων Ποτνιάδων ἠμείβομεν.* Valckenario ad Phoen. v. 38. haec in Oedipo Aeschyli scripta videbantur, inclinabamque eo ego quoque in dissertatione de Glaucis, Opusc.

vol. II. p. 64. O. Müllerus autem in Orchomeno p. 37. tamquam re minime dubia Oedipi facinus ab Aeschylo ad Potnias patratum narrat. Verumtamen versus isti vereor ne non ex Oedipo, sed, ut Spanhemius putabat, ex Glauco Potniensi sint petiti. Tam notum enim communique fama decantatum erat illud in Phocide trivium, in quo patrem occidisset Oedipus, monstraturque hodie quoque, ut non videatur Aeschylus caedem Laii in regionem longe ab isto loco remotam atque adeo plane oppositam transferre potuisse; ipsique versus isti potius sine impedimento transgressos esse trivium eos, quorum de itinere sermo est, quam cum aliquo viatore conflictatos significant. Quapropter quum ne scholiastes quidem de Oedipo quidquam dicat, sed de sola *σχιστῆς ὁδοῦ* appellatione loquatur, sic potius existimandum puto, confudisse istum hominem similitudine verborum adductum duo diversa trivia. Quid impedit enim quo minus etiam ad Potnias aliquod trivium fuisse credamus? Immo credendum id erit eo magis, quod poeta diserte *Ποτνιάδων τριῶν κελεύθων συμβολὰς* dixit, distinguens hoc trivium ab altero, quod non minus distincte ab Euripide in Phoenissis v. 37. demonstratum est his verbis: *καὶ ξυνάπτετον πόδα ἐς ταὐτὸν ἄμφω Φωκίδος σχιστῆς ὁδοῦ.* Haec si recte coniecimus, iter describebatur a Potniis commigrantium ad Peliae ludos funebres, in quibus discerptus ab equis suis est Glaucus. Ac nescio an tale quid etiam ipsi versus isti flagitent, quibus quum *οὕτως*, quod scholiastae adscriptum erat, reddendum esse recte videret Valckenarius, tamen non advertit animum ad *τῆς ὁδοῦ*, quae verba quum omnino molestissima sint toties repetita viae commemoratione, tum etiam propter articulum a sermone poetico abhorrent. Quare sic scripsisse Aeschylum crediderim:

> *οὕτως ἐπῆμεν γῆς ὅρους, τροχήλατον*
> *σχιστῆς κελεύθου τρίοδον, ἔνθα συμβολὰς*
> *τριῶν κελεύθων Ποτνιάδων ἠμείβομεν.*

Sed de his satis. Revertor ad Oedipum. In qua fabula si, ut opinamur, poena impie factorum consequuta est Oedipum, ut cognitis parentibus sibi oculos erueret, et vel domo abditus conspectum hominum fugeret, vel se patria exterminaret, potest is iustus finis haberi rerum illa trilogia comprehensarum. Non negaverim tamen, si Sphinx dematur, quam tragoediam fuisse haud satis certum puto, potuisse ultima

trilogiae tragoedia obitum contineri Oedipi, similiter ut in Oedipo Coloneo Sophoclis. Ac suspicetur quis fortitan tractasse Aeschylum etiam ea, quae Oedipo multo post quam se oculorum usu privasset acciderint, si, ut quibusdam cum scholiasta Sophoclis ad Oed. Col. 1375. placet, quae in Septem ad Thebas v. 792. *ἀραὶ ἐπίκοτοι τροφᾶς* dictae sunt, ad ea referuntur, quae ex cyclica Thebaide partim apud scholiastam istum, partim apud Athenaeum excerpta habemus. Ea fragmenta attigi olim in adnotatione ad Oed. Col. 1377. Postea tractarunt qui de Thebaide scripserunt, reprehendentes etiam quae non debebant. Eorum fragmentorum primum, quod iam rectius emendatum dabo, servavit Athenaeus XI. p. 465. F. sic scribens: *ὁ δὲ Οἰδίπους δι' ἐκπώματα τοῖς υἱοῖς κατηράσατο, ὡς ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα πεποιηκώς φησιν, ὅτι αὐτῷ παρέθηκαν ἔκπωμα ὃ ἀπηγορεύκει, λέγων οὕτως·*

> *αὐτὰρ ὁ διογενὴς ἥρως ξανθὸς Πολυνείκης*
> *πρῶτα μὲν Οἰδιπόδῃ καλὴν παρέθηκε τράπεζαν,*
> *ἀργυρέην, Κάδμοιο θεόφρονος· αὐτὰρ ἔπειτα*
> *χρύσεον ἔμπλησεν καλὸν δέπας ἡδέος οἴνου.*
> *αὐτὰρ ὅγ' ὡς φράσθη παρακείμενα πατρὸς ἑοῖο*
> *τιμήεντα γέρα, μέγα οἱ κακὸν ἔμπεσε θυμῷ.*
> *αἶψα δὲ παισὶν ἑοῖσι μετ' ἀμφοτέροισιν ἐπαρὰς*
> *ἀργαλέας ἠρᾶτο· θεὸν δ' οὐ λάνθαν' Ἐρινύν·*
> *ὡς οὔ οἱ πατρώϊ' ἰῇ φιλότητι δάσαιντο,*
> *ἀμφοτέροισι δ' ἀεὶ τελέθοι πόλεμοί τε μάχαι τε.*

Non commemorarem legi apud Athenaeum *Οἰδίποδι*, nisi id defendi viderem, et quidem Homerico illo Iliad. XXIII. 244. *ἐγὼν Ἄϊδι κεύθωμαι*, quaerique cur ergo mutatum fuerit. Dicamne? Primo, quae vel sola per se sat gravis caussa est, quia periti poetae est de duabus formis eam praeferre, quae accommodatior numeris est. Quare etiam Homerum, qui alibi *ἰφθίμῳ τ' Ἀΐδῃ καὶ ἐπαινῇ Περσεφονείᾳ* dixerit, credibile est *Ἀΐδῃ κεύθωμαι*, posuisse. Deinde quia *Οἰδίποδι* prosae orationis, *Οἰδιπόδῃ* autem poeticae est. Vltimos versus, in quibus libri *πατρῴαν εἴη φιλότητι* habent, *τελέθοι* autem omissum est, olim aliter constitueram. Non debebat tamen obiici, quod *δάσσαιντ'* in principium postremi versus coniectum plane falsam potestatem acciperet: qualia qui profert, aut cupiditatem reprehendendi, aut parum

diligentem lectionem epicorum prodit. Neque vero doctus poeta aut *πατρῷά γ' ἐνὶ φιλότητι*, aut *ἀμφοτέροισι δ' ἀεὶ πόλεμοί τε μάχαι τε γένοιντο* scribere potuit. Sed mittam haec. Athenaeo auctore Eustathius p. 1684, 6. de diris Oedipi: *ὧν αἴτιον κατά τινας ὅτι παρέθεντο ἐκεῖνοι τῷ πατρὶ ἐκπώματα ἅπερ ἐκεῖνος ἀπηγορεύκει. ἦσαν δὲ ἐκεῖνα κατὰ τὸν πεποιηκότα τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα πατρὸς ἑοῖο τιμήεντα γέρα, τουτέστι τοῦ Λαΐου.* Difficile est hos versus conciliare cum eo fragmento, quod est apud scholiastam Sophoclis ad Oed. Col. 1375. qui sic scribit: *τοῦτο ἁπαξάπαντες οἱ πρὸ ἡμῶν παραλελοίπασιν. ἔχει δὲ τὰ ἀπὸ τῆς ἱστορίας οὕτως. οἱ περὶ Ἐτεοκλέα καὶ Πολυνείκην δι' ἔθους ἔχοντες τῷ πατρὶ Οἰδίποδι πέμπειν ἐξ ἑκάστου ἱερείου μοῖραν τὸν ὦμον, ἐκλαθόμενοί ποτε, εἴτε κατὰ ῥᾳστώνην εἴτε ἐξ ὁτουοῦν, ἰσχίον αὐτῷ ἔπεμψαν· ὁ δὲ μικροψύχως καὶ τελέως ἀγεννῶς, ὅμως γοῦν ἀρὰς ἔθετο κατ' αὐτῶν, δόξας κατολιγωρεῖσθαι. ταῦτα ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα ποιήσας ἱστορεῖ οὕτως·*

ἰσχίον ὡς ἐνόησε, χαμαὶ βάλεν εἶπέ τε μῦθον·
ὤ μοι ἐγώ, παῖδες μὲν ὀνειδείοντες ἔπεμψαν.
εὖκτο Διὶ βασιλῆϊ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισι
χερσὶν ὑπ' ἀλλήλων καταβήμεναι Ἄϊδος εἴσω.

Eadem in Triclinianis edidit Turnebus, apud quem *τοῦτο ἅπαντες* et *τοιαῦτα ὁ τὴν Θηβαΐδα κυκλικὴν ποιήσας* legitur. In Romana scholiorum editione scriptum *ὁ τὴν μικρὴν Θηβαΐδα.* Elmsleius e codice Laurentiano edidisse videtur *ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα ποιήσας:* etsi aliquam dubitandi caussam praebet haec eius adnotatio: *μικρὴν R. Br. κυκλικὴν Triclin.* Haec igitur quum diserte ex cyclica Thebaide afferri viderentur, creditus est poeta cyclicus, ne pugnantia narrasse de exsecratione putandus esset, primo irascentem fecisse Oedipum propter poculum quod apponi vetuerat, postea autem magis etiam commotum, quod sibi coxam pro humero misissent filii. Itaque Welckerus in Appendice Trilogiae p. 145. Athenaeum vituperandum duxit, quem ait perperam intellexisse verba poetae, quodque scripserit *ὅτι αὐτῷ παρέθηκαν ἐκπώματα ἃ ἀπηγορεύκει*, ipsum finxisse, idque vel plurali numero dictum *ἐκπώματα* prodere, quum tamen poeta unum modo poculum nominaverit, nec minus mensa ad rem pertineat. In his primo admodum leve est illud argumentum, quod ab numero plurali repetitum est. Quo numero etsi Eustathius quoque, epitomen sequu-

tus, utitur, tamen apud Athenaeum dudum ex optimis libris editum erat *δι' ἔκπωμα ὃ ἀπηγορεύκει.* Deinde quis non sic potius iudicet, Athenaeum illud *ὃ ἀπηγορεύκει* non scripturum fuisse, nisi id ipsum legisset in Thebaide; nos autem, qui non legimus librum quem non habemus, non posse scire quid in eo non fuerit scriptum? Immo fuisse scriptum in isto poemate res ipsa evincit: quomodo enim irasci apposito poculo potuisset Oedipus, nisi vetuisset apponi? At negat Welckerus perspexisse Athenaeum, qua ratione res inter se nexae fuerint, hoc est, opinor, Oedipum gradatim commoveri, primo propter poculum, deinde magis etiam propter coxam. Sic enim iam non pugnare secum scriptorem Thebaidis putat, qui uno loco Oedipum propter poculum, altero propter coxam exsecratum esse filios narraverit. Est hoc sane non inepte excogitatum: sed tamen magnopere vereor, ne a vero absit longissime. Nimis enim mirum est, quod, quum et Athenaeus et scholiastes cyclicam Thebaidem antestentur, tamen Athenaeus nihil de coxa, de poculo autem nihil scholiastes memorat. Accedit quod alteram de exsecratione narrationem aliis quam cyclicae Thebaidi auctoribus tribuit Eustathius his verbis: *ἄλλοι δέ γε βρωμάτων τινῶν χάριν τὸν Οἰδίπουν καταράσασθαι τοῖς τέκνοις ἱστόρησαν.* Hunc vero Welckerus in Diurnis scholasticis a. 1832. p. 124. has narrationes separatas, ut nos, accepisse censet, putasseque priorem tantum in cyclica Thebaide fuisse: quo errore etiam Casaubonus ad Athenaeum (nescio ego ubi) et Valckenarius alterum istorum fragmentorum Antimacho tribuendum putaverint, quam sententiam iam a Schellenbergio ad Antimachum p. 79. esse impugnatam; F. A. Wolfium utrumque fragmentum ut e cyclica Thebaide edidisse. Wolfius nihil ad rem, qui hoc tantum agebat, ut fragmenta poneret, quae ex cyclica Thebaide essent prolata. Schellenbergii autem disputatio valde levis est, quae redit eo, ut plus semel devovere filios potuerit Oedipus: sed tamen hoc ille recte dixit, non videre se quae caussa potissimum illud quod apud Athenaeum est fragmentum, non alterum apud scholiastam Sophoclis Antimacho vindicaret. Scilicet Valckenarius ad Phoen. 68. versus ab Athenaeo servatos indicta caussa ex Antimachi Thebaide se dare scripsit. At, nisi ego vehementer fallor, recte suspicatus est Schellenbergius, illud quod apud scholiastam Sophoclis est fragmentum non ex cyclica, sed ex Antimachi esse Thebaide de-

promptum. Testatur quidem cyclicam Thebaidem scholiastes; testatur etiam Triclinius: sed primum hos ego non duos, sed unum testem esse credo. Nam quum omnino Triclinii adnotationes ab scholiis istis in hac fabula ita non discrepant, ut propterea omissae sint in Triclinianis a Brunckio, tum vel illud *τοῦτο ἁπαξάπαντες οἱ πρὸ ἡμῶν παραλελοίπασιν* non antiquum grammaticum, sed istum sua doctrina gloriantem Triclinium prodit. Eiusdemque generis illud quoque est, quod Oedipum *μικροψύχως καὶ τελέως ἀγεννῶς* devovisse filios suos propter coxam pro humero missam observat. His vero etiam fides auctoris debilitatur, credique facile potest, Triclinium, quum ex Thebaide non nominato scriptore afferri versus istos vidisset, eam cyclicam esse Thebaidem putavisse, non, quae erat, Antimachi. Nisi illud *κυκλικὴν* ne a Triclinii quidem, sed ab lectoris alicuius manu est. Antimachi enim istos versus esse eo est veri similius, quod etiam dictionis genus tale est, quale huius poetae fuisse scimus. Apertum quidem est, scripturam aliquid vitii contraxisse: quod ego facillima correctione et olim censui tollendum esse et nunc censeo, hoc modo:

ἰσχίον ὡς ἐνόησε, χαμαὶ βάλεν εἶπέ τε μῦθον·
ὤ μοι ἐγώ, παῖδές μοι ὀνειδείοντες ἔπεμψαν
εὐκτὰ Διῒ βασιλῆϊ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν
χερσὶν ὑπ' ἀλλήλων καταβήμεναι Ἄϊδος εἴσω.

Secundo quidem versu quod *μὲν* codicis et editionis Romanae, pro quo a Turnebo editum *με*, in *μοι* mutavi, operam abutitur, si quis exemplis docendum putat, *μὲν* etiam non sequente *δὲ* dici. Non ista mihi corrigendi caussa fuit, sed quod hic facilius particula quam pronomine caremus. In eodem autem versu qui Buttmanni coniecturam *ὀνείδειον τόδ' ἔπεμψαν* palmariam esse pronunciarunt, vereor ne inconsideratius pro vitioso habuerint verbum quod alibi non esset inventum. Nam et forma verbi proba est et potestas ea, ut tam apta sit rei quam non apta foret *ὀνειδίζοντες*. Quod si alia auctoritate non munitum est hoc verbum, ob hanc ipsam caussam rara captanti poetae Colophonio convenientissimum est. In tertio versu quod ego pro *εὖκτο* posui *εὐκτά*, eiusmodi est, ut, quae nullo modo cohaerebant, apte coniungat in unam sententiam. Aliter enim, quod non est credibile, aliquot versus ante hunc excidisse oporteret. Non potest enim scribi, quod placuit quibusdam, *εὖκτο δὲ Διὶ βασιλῆϊ*: qui non videntur cogi-

tasse quantum ab aoristo distet plusquamperfectum. Caeterum quod dicebam scholion istud non videri antiqui grammatici, sed Triclinii esse, duobus etiam aliis argumentis probabile fit. Eorum unum per se nullam vim habet, sed coniunctum cum reliquis non est contemnendum. Comparat enim homo iste cum Thebaidis versibus Aeschylum in Septem ad Thebas: quod etsi quivis etiam alius facere potuit, tamen et alibi sic solet Triclinius, et consentaneum erat facere, qui ipse in illam fabulam commentarios scripsisset. Alterum argumentum hoc est, quod in versibus qui deinceps afferuntur manifestae sunt correctiones metri caussa factae, quo in genere nota est Triclinii laudabilis quidem, sed iustam peritiam non assequuta industria. Eius observationis auxilio puto me versus illos rectius restituturum esse, quam olim feci ad fabulam Sophoclis. Pergit igitur scholiastes sic: *τὰ δὲ παραπλήσια τῷ ἐποποιῷ καὶ Αἰσχύλος ἐν τοῖς Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις· καὶ ἔοικεν τὸ τῆς ἱστοριάς ἥκειν ἐπὶ πολλούς, ὡς καὶ παρά τινι ἐκτεθῆναι αὐτὰ πρὸς τὸ γελοιότερον διὰ τούτων·*

ἀεὶ δ' ὁρῶντί γ' ὀξύ, εἰ καὶ τυφλὸς ἦν.
θυσίας γὰρ ἀπαρχὰς γέρας ἐπέμπομεν πατρὶ
περισσὸν ὦμον, ἔκκριτον γέρας· τὸ δὴ
αὐτοί γε συγκόψαντες, οὐ μεμνημένοι,
λήσειν δοκοῦντες, ἀντὶ τοῦ κεκομμένου
ἐπέμψαμεν βόειον· ὃ δὲ λαβὼν χερὶ
ἔγνω 'παφήσας, εἶπε τ' ἐκ θυμοῦ τάδε·
τίς μοι τάδ' ἀνθόμοια, μισητὸν κρέας,
πέμπει: γέλωτα δή με ποιοῦνται κόροι
θύοντες ὕβρει· τυφλὸς οὔ τοι γνώσεται,
οὕτω λέγοντες. ὦ θεοὶ, μαρτύρομαι
ἐγὼ τάδ' ὑμᾶς, καὶ κατεύχομαι κακὰ
αὐτοῖσιν, αὐτοὺς τῶνδε δὶς τόσα σχεθεῖν,
χαλκῷ δὲ μαρμαίροντες ἀλλήλων χρόα
σφάξοιεν ἀμφὶ κτήμασιν τοῖς βασιλικοῖς.

Notabo librorum diversas scripturas, quas minus diligenter indicavit Elmsleius. In Turnebi editione omissa mentione Aeschyli post versus Thebaidis sic pergitur: *ἔοικε δὲ τὸ τῆς ἱστορίας ἥκειν καὶ ἐφ' ἑτέρους πολλούς. φησὶ γάρ τις Θυσίας γὰρ ἀπαρχάς.* Primus igitur trimeter, qui non est in Turnebi editione, ab Elmsleio ex codice Lau-

rentiano sic editus est: ἀεὶ δ' ὁρῶντι γ' ὀξὺ, καὶ τυφλὸς ἦν. Editio Romana autem εἰ inseruit ante καί. Manifesta in his imperiti metrici manus. V. 2. θυσίας γὰρ ἀπαρχὰς habent omnes, nisi quod Laurentianus ἀπαρ, superscripto χ. V. 3. 4. in Laurentiano et ed. Romana sic scriptum: τὸ δή γε συγκόψαντες. Turnebus edidit: τὸ δὲ Αὐτοί γε συγκόψαντες. V. 5. cod. Laur. κεκομμένον. V. 7. Brunckius et Gaisfordius ἔγνω 'παφήσας. Ed. Romana ἔγνω. ἐπαφήσας εἰπέ τ'. Turnebus ἔγνω γ' ἐπαφήσας. V. 8. Laur. Rom. τόδ' ἀντόμοιον. Turnebus τάδ' ἀνθόμοια. V. 9. Laur. Rom. πέμπων, γέλω δή με. Turnebus Πέμπει, λέγων δὴ τἀμά. Brunckius ex Stephaniana: πέμπει; γέλων δὴ τἀμά. Gaisfordius ex Elmsleii apographo edidit πέμπει; γέλωτα δή με. V. 10. Brunckius οὔτι. V. 13. Laur. τόσσα. Idem et edd. ante Gaisfordianam σχέθειν. V. 15. Gaisfordius sine nota σφάζοιεν, Edd. priores σφάξοιεν. Deinde Gaisfordius κτήμασιν βασιλικοῖς. Romana κτήμασι βασιλικοῖς. Elmsleius ad Med. 70. *legendum*, inquit, σφάζοιεν (*vel potius* σφάξειαν) ἀμφὶ κτήμασιν τυραννικοῖς. *Minus recte Brunckius* κτήμασιν τοῖς βασιλικοῖς. At sic iam Turnebus cum eoque Stephanus ediderant. Hos quindecim versus, quos fuit qui comici alicuius esse putaret, recte Elmsleius eo quem dixi loco ex quadam vidit fabula satyrica esse petitos. Eorum de initio, quod ab imperito metrico pessime tractatum est, quae ab aliis prolatae sunt coniecturae, silentio praeteriri satius est. Ad illud vero advertendus animus, quod inepte in tertio versu repetitum est γέρας, aberrante librario ad praecedentem versum. In quarto versu facile agnoscitur Triclinii vel quisquis fuit malum additamentum αὐτοί: ex quo coniici potest, τὸ δὴ explendi superioris versus caussa pro ὃ δὴ scriptum esse. Rectissime vero dictum δή γε, de quibus particulis exposui ad Eurip. Iph. Taur. 917. Consequitur ex his versui tertio pedem deesse. Is quomodo restituendus sit dubitari potest propter illa quae sequuntur. Ac non mirarer, si quis, quia nihil de coxa scriptum legimus, hunc poetam vaccae humerum pro taurino missum dixisse Oedipo putaret, quem ille quum contrectans minus grandem nec parem taurino inveniret, vaccae esse intellexerit: idque sane facillime efficeretur reposito in vacuum pedem ταύρου, hoc modo: ταύρου περισσὸν ὦμον, ἔκκριτον γέρας· ὃν δή γε συγκόψαντες — ἀντὶ τοῦ κεκομμένου ἐπέμψαμεν βόειον· apteque eo referri videretur in sequentibus τάδ' ἀνθόμοια.

Sunt tamen quae haec vix patiantur pro veris haberi. Primum enim neque in verbis scholiastae quidquam est, ex quo colligi possit hunc poetam alia quam Thebaidis scriptorem rettulisse, nec per se id veri simile est. Deinde sumendum esset, de quo nihil dictum in versibus istis, simul cum tauro etiam vaccam esse mactatam. Denique dubitationem facit etiam incerta scriptura, quum in cod. Laur. et ed. Rom. sit *τόδ' ἀντόμοιον*. Mihi quidem olim ante sextum versum excidisse unus versus videbatur, in quo fuisset quod ad *βόειον* referretur *ἰσχίον*. Sed etsi omnino illa voce opus est, si consensit hic poeta cum scriptore Thebaidis, tamen non est necessario de lacuna cogitandum, quia illud *ἀντὶ τοῦ κεκομμένου* tam inutile est, ut a grammatico potius evanidam scripturam integrante quam ab ipso poeta profectum videatur. Septimo versu quin *ἐκ θυμοῦ* perperam scriptum sit, vix poterit dubitari. In octavo nonoque versu quod Turnebus edidit, *τίς μοι τάδ' ἀνθόμοια μισητὸν κρέας πέμπει*, nimis manifesto correctorem prodit, quam ut temere spernendae sint veteres scripturae *τόδ' ἀντόμοιον* et *πέμπων*. Neque vero recte quis, credo, corrigeret, *τίς μοι τάδ' ἁνθόμοια, μισητὸν κρέας, πέμπων;* aut *τίς μοι τόδ, ἀνθόμοι', ὁ μισητὸν κρέας πέμπων;* aut, quod duobus modis interpungi potest, *τίς μοι τάδ' ἀνθόμοι' ὁ μισητὸν κρέας πέμπων;* Accedit quod vix alibi invenietur hoc vocabulum *ἀνθόμοιος*, quamquam minime illud damnandum. In decimo versu, praeter inelegantem trochaeum *τυφλός*, numerosque haud satis concinnos, inepte dictum est *θύοντες ὕβρει*, si id est *furentes temeritate*, quia, ubi de sacrificio sermo est, sacrificantes potius intelliguntur. Tertio decimo denique versu languidissimum est *αὐτοῖσιν αὐτούς*. Haec omnia qui diligenter ponderaverit, vix dubitabit quin haud paullo aliter scripti fuerint versus isti antequam refingerentur ab emendatore metrico. Quod nisi me fallit opinio, tales fere fuerunt:

ἀεὶ δ', ὁρῶν γὰρ ὀξύ, καὶ τυφλός περ, ἦν,
θυσίας γ' ἀπαρχὰς γέρας ἐπέμπομεν πατρί,
βοὸς περισσὸν ὦμον, ἔκκριτον κρέας·
ὃ δή γε συγκόψαντες, οὐ μεμνημένοι,
λήσειν δοκοῦντες, ἀντίκοπτον ἰσχίον
ἐπέμψαμεν βόειον· ὃ δὲ λαβὼν χερὶ
ἔγνω 'παφήσας εἶπέ τ' ἔκθυμος τάδε·
τίς μοι τόδ' ἀντ' ὤμου 'σθ' ὁ μισητὸν κρέας·

πέμπων; γέλων δὴ τἀμὰ ποιοῦνται κόροι
θύοντες, ὕβρει θ' „ὁ τυφλός· οὔτοι γνώσεται"
οὕτω λέγοντες· ὦ θεοί, μαρτύρομαι
ἐγὼ τάδ' ὑμᾶς, καὶ κατεύχομαι κακὰ
κακοῖσιν αὐτοῖς τῶνδε δὶς τόσα σχεθεῖν·
χαλκῷ δὲ μαρμαίροντες ἀλλήλων χρόα
σφάξειαν ἀμφὶ κτήμασιν τυραννικοῖς.

Redeo iam ad id, cuius caussa de his versibus exposui. Nam quod scholiastes scripsit, τὰ δὲ παραπλήσια τῷ ἐποποιῷ καὶ Αἰσχύλος ἐν τοῖς Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, quum spectet ad v. 791. ubi de Oedipo dictum, τέκνοις ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς ἀρὰς, ea verba in eamdem cum scholiasta sententiam Heathius quoque interpretatus est, scribens ἐπίκοτος τροφᾶς, quae non modo inutilis, sed etiam invenusta coniectura est. Hunc sequuti sunt Welckerus in Diurnis scholasticis a. 1832. p. 167. et Sterkius in Historia Labdacidarum p. 100. At ut haec verba, si per se sola spectantur, referri ad istam narrationem possint, tamen, quo loco posita sunt, potius, ut Schützius voluit, propterea ira correptum esse Oedipum significant, quod sustulisset educassetque inceste prognatos filios, Sic enim chorus a. v. 784.

ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων
ἐγένετο μέλεος ἀθλίων
γάμων, ἐπ' ἄλγει δυςφορῶν
μαινομένᾳ κραδίᾳ
δίδυμα κάκ' ἐτέλεσεν·
πατροφόνῳ χερὶ τῶν
κρεσσοτέκνων ὀμμάτων ἐπλάγχθη,
τέκνοισιν δ' ἀρὰς
ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς,
αἰαῖ, πικρογλώσσους ἀράς,
καὶ σφε σιδαρονόμῳ
δία χερί ποτε λαχεῖν
κτήματα.

Apertum ex his est, Oedipum, statim ut patrem ab se occisum matremque coniugis loco habitam intellexit, furentem dolore et oculos sibi effodisse et filios, quos educasse poeniteret, mutuae caedi devovisse. Quod si sibi constitit Aeschylus, etiam in illa fabula, qua

Oedipum piacula sua cognoscentem fecit, non propter commutatam cum humero bovis coxam, sed quod ex incestu procreati essent, devotos a patre dixit filios. Ita apparet, cur dirae istae in Septem ad Thebas v. 772. *παλαίφατοι ἀραὶ* vocentur.

Venio nunc ad eam trilogiam, in qua Septem ad Thebas fuerunt. Eius trilogiae quum Septem ad Thebas medium locum tenuisse non dubium videatur, illud tamen ego minime affirmem, primam tragoediam fuisse Nemeam. Nomen huius fabulae insertum est indici, sed nihil ex ea nominatim servatum. Referendum tamen ad eam sine dubio, quod scholiastes Pindari in praefatione Nemeorum de institutione istorum ludorum scripsit: *ἄλλοι δέ, ὧν ἐστὶ καὶ Αἰσχύλος, ἐπ' Ἀρχεμόρῳ τῷ Νεμέας παιδί.* Nam sic de illa re refert Apollodorus III. 6, 4. *παραγενόμενοι δὲ εἰς Νεμέαν, ἧς ἐβασίλευε Λυκοῦργος, ἐζήτουν ὕδωρ· καὶ αὐτοῖς ἡγήσατο τῆς ἐπὶ κρήνην ὁδοῦ Ὑψιπύλη, νήπιον παῖδα ὄντα Ὀφέλτην ἀπολιποῦσα, ὃν ἔτρεφεν, Εὐρυδίκης ὄντα καὶ Λυκούργου. αἰσθόμεναι γὰρ αἱ Λήμνιαι ὕστερον Θόαντα σεσωσμένον, ἐκεῖνον μὲν ἔκτειναν, τὴν δὲ Ὑψιπύλην ἀπημπόλησαν. διὸ πραθεῖσα ἐλάτρευε παρὰ Λυκούργῳ. δεικνυούσης δὲ τὴν κρήνην ὁ παῖς ἀπολειφθεὶς ὑπὸ δράκοντος διαφθείρεται. τὸν μὲν οὖν δράκοντα ἐπιφανέντες οἱ μετὰ Ἀδράστου κτείνουσι, τὸν δὲ παῖδα θάπτουσιν. Ἀμφιάραος δὲ εἶπεν ἐκείνοις τὸ σημεῖον τὰ μέλλοντα προμαντεύεσθαι. τὸν δὲ παῖδα Ἀρχέμορον ἐκάλεσαν. οἱ δὲ ἔθεσαν ἐπ' αὐτῷ τὸν τῶν Νεμέων ἀγῶνα. καὶ ἵππῳ μὲν ἐνίκησεν Ἄδραστος, σταδίῳ δὲ Ἐτέοκλος, πυγμῇ Τυδεύς, ἅρματι καὶ δίσκῳ Ἀμφιάραος, ἀκοντίῳ Λαόδοκος, πάλῃ Πολυνείκης, τόξῳ Παρθενοπαῖος.* In his nihil est, ex quo argumentum capi potuisse videatur aptum tragoediae, quae res Thebanas contineret. Nam etsi Opheltae interitus malum omen ducibus Argivis fuit, tamen res adversae, quas haec tragoedia habuit, non his, sed nutrici Opheltae Hypsipylae acciderunt. Quam quum necare propter puerum male custoditum voluerit Eurydice, eoque consilio tenuerit conclusam, servaverint autem monstrante Amphiarao filii eius, de quibus rebus exposuit scholiastes Pindari: non dubitandum videtur, quin Nemea ad illam pertinuerit trilogiam, in qua fuit tragoedia Hypsipyle.

Quod si non est veri simile, ut Nemea praecesserit Septem ad Thebas, alia circumspicienda est tragoedia, quam primam huius trilogiae ponere possimus. Videor mihi aliquod de eius argumento in-

dicium invenisse in Septem ad Thebas v.576. ubi praeco sic de Amphiarao praedicat:

Ὁμολωΐσιν δὲ πρὸς πύλαις τεταγμένος
κακοῖσι βάζει πολλὰ Τυδέως βίαν,
τὸν ἀνδροφόντην, τὸν πόλεως ταράκτορα
μέγιστον Ἄργει, τὸν κακῶν διδάσκαλον,
Ἐρινύος κλητῆρα, πρόςπολον φόνου,
κακῶν δ' Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον.

Tam significanter haec coagmentata sunt, ut quo singula spectent vix videatur ab audientibus satis percipi potuisse, nisi praegressa esset harum rerum omnium uberior explicatio. Hinc fortasse non fallemur, si argumentum primae tragoediae ex his Homeri versibus sumptum putabimus, Iliad. IV. 376. ubi sic de Tydeo Agamemno:

ἤτοι μὲν γὰρ ἄτερ πολέμου εἰςῆλθε Μυκήνας
κεῖνος ἅμ' ἀντιθέῳ Πολυνείκεϊ, λαὸν ἀγείρων,
οἵ ῥα τότ' ἐστρατόωνθ' ἱερὰ πρὸς τείχεα Θήβης·
καί ῥα μάλα λίσσοντο δόμεν κλειτοὺς ἐπικούρους.
οἳ δ' ἔθελον δόμεναι καὶ ἐπήνεον, ὡς ἐκέλευον·
ἀλλὰ Ζεὺς ἔτρεψε, παραίσια σήματα φαίνων.

Ac fortasse etiam eorum aliquid, quae deinceps copiose exponit Agamemno, admiscuit Aeschylus. Ea paucis complexus Apollodorus sic refert: *ὡς δὲ ἦλθον εἰς τὸν Κιθαιρῶνα, πέμπουσι Τυδέα προεροῦντα Ἐτεοκλεῖ τὴν βασιλείαν παραχωρεῖν Πολυνείκει καθὰ συνέθεντο. μὴ προςέχοντος δὲ Ἐτεοκλέους, διάπειραν τῶν Θηβαίων Τυδεὺς ποιούμενος, καθ' ἕνα προκαλούμενος πάντων περιεγένετο. οἱ δὲ πεντήκοντα ἄνδρας ὁπλίσαντες ἀπιόντα ἐνήδρευον αὐτόν. πάντας δὲ αὐτοὺς χωρὶς Μαίονος ἀπέκτεινε, κἄπειτα ἐπὶ τὸ στρατόπεδον ἦλθεν.* Illa igitur in fabula etiam de somnio Eteoclis, cuius in Septem ad Thebas mentio facta est, expositum esse debuit. Nomen vero quod huic tragoediae fuisse aliqua cum probabilitate dicam, non habere me fateor. Nisi forte appellata fuit Argivi aut Argivae. Sed hoc dubitanter dico. Bene enim scio, quantum ea coniectura periculum subeam. Verumtamen non affirmare quidquam volo, sed quaerere, num, quae obstare videntur, talia sint, ut nequeatur de Argivis cogitari. Sunt ea autem haec duo, unum, quod Argivi fabula satyrica esse visi sunt; alterum, quod, etiam si tragoedia fuit, non quae ante Septem ad Thebas, sed

quae post gesta sunt, tenuisse existimatur. Ac satyricam fuisse Hesychius, si recte emendatus est, testari videtur in *ἐμμέλεια* his verbis: *τραγικὴ δὲ ὄρχησις. Ἀργυρίοις δὲ Αἰσχύλος ἀντὶ του σατυρική, ἥ ἐστι σίκιννις.* Pro *Ἀργυρίοις* scribunt viri docti *Ἀργείοις*, nec dubito quin recte. Eo igitur testimonio Boeckhius in libro quem scripsit de tragicis Graecis p. 30. Argivos in satyricis fabulis numeravit, recte sane, si nihil vitii est in verbis Hesychii. Et videantur ea fortasse inde aliquid praesidii habere, quod Lucianus de saltat. c. 22. T. II. p. 280. omnium nomina trium saltationum scenicarum ab Satyris inventa dixit. Sed permirum tamen est, quum tot scriptores *ἐμμέλειαν* tragicae saltationis nomen esse testentur, nullum eorum praeter Hesychium illud nomen etiam ad *σίκιννιν* translatum dicere. Quare vereor ne Hesychius sic scripserit: *τραγικὴ δὲ ὄρχησις· Αἰσχύλος Ἀργείοις. ἦν δὲ καὶ σατυρική, ἥ ἐστι σίκιννις.* Certe sic idem in *σίκιννις*: *ἦν δὲ καὶ ἐμμέλεια τραγική, καὶ κωμικὴ κόρδαξ.* Quod si Hesychii testimonium cadit, nihil relinquitur, quo satyricam fabulam fuisse Argivos censeamus. Nam quem versum Harpocratio in *χλῆδος* affert,

καὶ παλτὰ κἀγκύλητα καὶ χλῆδον βαλών,

in quo Valesius scribendum putabat *καὶ πάλτ᾽ ἀναγκύλητα*, is nihil continet, quod a gravitate tragoediae abhorrere videatur. Qui versus si Boeckhium adduxit, ut etiam illos versus, quos Athenaeus I. p. 17. sine nomine fabulae servavit, ad Argivos referret: est id eiusmodi, ut possit verum esse, si fabula fuit satyrica; si non fuit, non possit. Sumamus nunc tragoediam fuisse, ut Welckero placuit. Tum vero non videbitur prima trilogiae fuisse, propterea quod *ἐν Ἀργείοις* Capanei fulmine percussi mentionem factam accepimus. Quo etsi fortasse etiam *ἀπόσκημμα*, quod Hesychius *ἀπέρεισμα* interpretatur, referri potest, tamen neque haec vox non etiam alio significatu dici potuit, et illud *ἐν Ἀργείοις* ita comparatum est, ut possit ipsius poetae verbis adnumerari: quo peribit nomen fabulae, fragmentumque illud alii tribuendum erit tragoediae. De eo igitur fragmento, quia nullo modo potest ex prima trilogiae tragoedia sumptum esse, infra exponam. Nunc satis habui ea attulisse, ex quibus appareret, non sane invictis argumentis aut pro satyrica fabula habendos esse Argivos, aut, si fuit tragoedia, posteriorem putandam quam Septem ad Thebas. Restat ut adiiciam,

sive satyrica fuit sive tragoedia, ne de nomine quidem satis constare. In indice fabularum vocata est *Ἀργεῖοι*, quocum concinit illud de quo modo dicebam *ἐν Ἀργείοις*, si id grammatici, et non Aeschyli est. Concinit etiam, licet corruptum, *Ἀργυρίοις* Hesychii in *ἐμμέλεια*. Editur *Ἀργείοις* etiam apud Harpocrationem in *χλῆδος*, sed auctore Maussaco, quod contra quos tres codices contulit Bekkerus, eorum duo *Ἀργείαις*, tertius cum Aldina *Ἀργίαις* habent: denique apud Hesychium in *ἀπόσκημμα* codex *Ἀργίας*, Musurus et Favorinus *Ἀργείᾳ*.

Venio ad tertiam tragoediam. Ac memorabile est, quod in Septem ad Thebas praeter fratres mutua manu occisos nullius reliquorum ducum interitus memoratur, bellumque non profligatum, sed primo tantum hostium impetu repulso salva adhuc urbs esse videtur. Sic enim refert nuncius v. 799.

πόλις πέφευγεν ἥδε δούλιον ζυγόν.
πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀμβρίμων κομπάσματα,
πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ τε, καὶ κλυδωνίου
πολλαῖσι πληγαῖς ἄντλον οὐκ ἐδέξατο.
στέγει δὲ πύργος, καὶ πύλας φερεγγύοις
ἐφραξάμεσθα μονομάχοισι προστάταις.
καλῶς ἔχει τά πλεῖστ' ἐν ἓξ πυλώμασιν.

Ex his licet coniicere, in postrema tragoedia, qua finem belli contineri oportebat, reliquorum ducum mortes, in iisque Capanei potissimum, esse tractatas. Ac de Capaneo aliquid scriptum fuit in corruptissimo fragmento, quod ex Argivis petitum putatur, apud Etymologum M. p. 341, 6. *ἐνηλύσια, εὐκίνητα. καὶ ἤλυσιν τὴν ἔλευσιν. Αἰσχύλος ἐν Ἀργείοις· Καπανεύς μου καταλείπεται λοιποῖς ἀκέραυνος ἀρούρων ἐπηλυσίων ἀπέλιπεν. οἱ δὲ τὰ κατασκηφθέντα· οὕτως εἰς τὸ ῥητορικόν. εἰς δὲ τοὺς ἐτυμολόγους εὗρον εἰς ἃ κεραυνὸς εἰςβέβηκεν, ἃ καὶ ἀνατίθεται Διὶ καταιβάτῃ καὶ λέγεται ἄδυτα καὶ ἄβατα.* Sic edidit Sylburgius: sed editio princeps et Aldina pro *ἀρούρων* habent *ἀρόρων*. Welckerus in Diurnis scholasticis a. 1832. p. 230. Aeschyli verba sic scripta proposuit:

Καπανεὺς μὲν καταλείπεται,
λοιβαῖς ἃ κέραυνος ἀρούρων
ἐνηλυσίων ἀπέλιπε.

Quae quibus numeris quaque sententia esse voluerit, ego non expediam. Mihi quidem, quod vel Pauwius vidit, versus videntur anapaestici fuisse: sed corrupti sunt ita, ut verear ne sine melioris libri auxilio non possint restitui. Si tamen coniecturae, ut nunc verba scripta sunt, locus est, ad hunc fere modum factos fuisse credam:

ἐν Ἀργείοις
Καπανεὺς μὲν ἂν ἀλλ' ἐπέτας λοιποῖς
ἀκέραυνον ἄρουραν ἐνηλυσίων
ἀπέλειπεν.

Quae vel Adrasti verba esse potuerunt, vel, si idem quod Euripidis Supplicum argumentum fuit, Euadnae. Et hoc quidem non videtur dubitari posse, argumentum illud ipsum fuisse, quod in Supplicibus tractavit Euripides. Nam sic demum iustus rebus Thebanis finis imponebatur, si sepulturae traderentur qui illo in bello caesi erant Argivi. Fuit igitur illa fabula Eleusinii, de qua luculentum exstat testimonium Plutarchi in Theseo cap. 29. *συνέπραξε δὲ καὶ Ἀδράστῳ τὴν ἀναίρεσιν τῶν ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ πεσόντων, οὐχ, ὡς Εὐριπίδης ἐποίησεν ἐν τραγῳδίᾳ, μάχῃ τῶν Θηβαίων κρατήσας, ἀλλὰ πείσας καὶ σπεισάμενος· οὕτω γὰρ οἱ πλεῖστοι λέγουσι.* Et paullo post: *ταφαὶ δὲ τῶν μὲν πολλῶν ἐν Ἐλευθεραῖς δείκνυνται, τῶν δὲ ἡγεμόνων περὶ Ἐλευσῖνα, καὶ τοῦτο Θησέως Ἀδράστῳ χαρισαμένου. καταμαρτυροῦσι δὲ τῶν Εὐριπίδου Ἱκετίδων καὶ οἱ Αἰσχύλου Ἐλευσίνιοι, ἐν οἷς ταῦτα λέγων ὁ Θησεὺς πεποίηται.* Ita haec emendavit amicus meus, C. Sintenis, *καὶ*, quod ante *ταῦτα* legebatur, ante *οἱ Αἰσχύλου Ἐλευσίνιοι* reposito. Communem et apud plerosque celebratam famam sequutus erat Aeschylus. Euripides, ut qui post illum eam rem in scenam afferret, ne vetera repetere videretur, alteram eamque minus vulgarem adscivit.

Tractatum esse ab Aeschylo alterum quoque bellum Thebanum documento sunt Epigoni. Quod bellum quum Alcmaeonis ductu gestum sit, huius facta satis materiae praebere tribus tragoediis poterant. Verum nec proditum ab antiquis est, quae fabulae cum Epigonis coniunctae fuerint, et ne nomina quidem quae cognita habemus tragoediarum aliquid indicii praebent. Quare exspectandum potius donec quid novis repertis testibus innotescat, quam vanis hariolationibus indulgendum.

Sed haec praefati sumus more Academico, ne certaminis litterarii indictio ita in publicum exiret, ut non ipsa quoque aliquid quod cognitu haud iniucundum esset, secum afferret. Nunc id agendum est, cuius causa ista sumus praefati. Et quae erant hoc anno litterarum apud nos studiosis propositae quaestiones, plerasque gaudemus invenisse, qui iis tractandis diligentem operam navarent. Nam S. Rev. Ordo Theologorum quum rationes expendi iussisset, quibus Dav. Schulzius et H. A. Schottus Paulum epistolas ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philemonem in captivitate Caesareensi, non Romana scripsisse censuissent, sex ei oblatae sunt dissertationes, quarum in ea, cui *iudices habebitis aequos et iustos: ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν* inscriptum erat, quaestio illa perspicue acuteque tractata est, licet interdum iusto subtilioribus et implicatoribus argumentis stiloque aliquando minus simplici nec qui ubique satis Latinum colorem referat usus esse scriptor videatur. Hanc igitur consensu praemio ornandam Ordo iudicavit. Eam scripsisse aperta schedula inventus est CAROLUS GRAUL, Wörlitiensis. Ad hanc quum proxime accedere visa esset alia, hoc indice: *usu et vetustate quae sunt sancita, ea nisi gravibus argumentis antiquare non debes:* in qua res bene dispositae, et cum dialectico acumine, in quibusdam potissimum partibus disceptatae sunt, sed magna est partium dissimilitudo, sive res tractatae sive modus quo sunt tractatae spectetur: huius quoque scriptorem cognoscendum, publiceque collaudandum Ordo censuit. Est ille autem AUGUSTUS ANTONIUS KAHLENBERGER, Schneebergensis.

Ill. Iurisconsultorum Ordo praeceptorum iuris Romani de evictionibus brevem descriptionem exhiberi voluerat. De tribus inter se certantibus praemio dignus iudicatus est is, qui libello suo inscripsit: *voluisse sat.* Inventus est FRANCISCUS LUDOVICUS SIEGEL, Lipsiensis. Reliquis duabus commentationibus tesserae erant: *tentanda via est,* et: *est quadam prodire tenus, si non datur ultra.* Utrique Ill. Ordo honorificam mentionem decrevit.

Ad quaestionem a Gratioso Ordine Medicorum propositam qui responderet, nullus est inventus.

Ampl. Philosophorum Ordinis classis prima postulaverat, ut quaereretur possetne idea absoluti summum et unicum philosophiae princi-

pium esse. Responderunt ad eam duo nostrorum Commilitonum, quorum non dubitavimus eum praemio dignum iudicare, qui hanc posuerat dissertationis suae notam: *nihil aliud est vera auctoritas, nisi rationis virtute cooperta veritas.* Is Herbarti potissimum sententiam sequutus, negavit absoluto dignitatem principii concedendam esse, demonstravitque id caute, subtiliter, sobrie, atque ita, ut non in novissimis placitis examinandis acquiesceret, sed ad Platonem quoque et Spinozam, ut primos ideae absoluti fontes, rediret, omnia iusto ordine et sermone plano pertractans. Eum esse cognitum est HERMANNUM BONITZ, Longosalissa Thuringum. Laudari tamen placuit etiam alterum, qui sub hac tessera, *facilis descensus Averni*, se fautorem absoluti ut summi et unici philosophiae principii professus, eorum sequutus est vestigia, qui Hegelii placita eo modo, quo ille disputare consueverat, corrigere atque amplificare student: quod quum sic fecerit, ut explicaret potius suam sententiam, quam defenderet adversus aliter sentientes, non visus est satis id egisse, quod agi Ordo voluerat.

Secunda classis Philosophorum Ordinis leges dialecti, qua usi essent Graecorum poetae bucolici, investigari praeceperat. De eo argumento duae nobis exhibitae sunt commentationes, quarum quum hoc commune sit, quod fere ad Maittairii exemplum singulae deinceps partes orationis sunt consideratae, formaeque verborum additis locorum notationibus enumeratae, in qua re vellemus addidissent etiam, qui Dorismi abhorrerent a poesi bucolica, quamquam id amplioris et difficilioris operae esse intelligimus: altera in dissertatione accurate distincta esse vidimus epica carmina a Doricis, Dorica autem rursum in classes quasdam distributa, quidque cuiusque proprium sit indicatum, adhibita codicum varia auctoritate, insertaque locorum haud paucorum diligenti explicatione, multisque allatis bonis observationibus, ita ut sic congesta dispositaque materia non multum absit, quin eo perveniri in hac quaestione possit, quo nunc quidem licet in tanta bonorum codicum paucitate, tamque incerta eorum qui collati sunt fide. Inscriptum huic libello erat: *veritatis lex nulla temporis iniuria prorsus potest obscurari.* Inventus est scriptor GUSTAVUS EDUARDUS MUEHLMANN, Schneebergensis, Regii Seminarii philologici et Societatis Graecae sodalis. Laudandam vero etiam indicavimus alterius dissertatio-

nem, cuius tessera erat *in magnis aliquid voluisse*, quae etsi brevior, nec generibus carminum distinctis, admixtisque quibusdam alienis, tamen hoc habet praecipuum, quod saepe grammaticorum veterum adhibita est auctoritas.

Quam tertia Philosophorum Ordinis classis proposuerat quaestionem, ut ostenderetur quae ad mercimonia idoneae plantae in Saxonia colerentur vel possent coli, de ea quem unum accepimus libellum, is non solum quod Germanice, nec, siculi proposita quaestio, Latine scriptus est, non potuit ad certandum admitti, verum etiam, etsi quae in eo fusius de re agraria exposita sunt, laudanda esse censemus, tamen eo nobis non satisfecit, quod definitiones descriptionesque plantarum vel neglectae vel non satis ordinatae sunt, principiorum autem chemicorum, et embryonum plantarum expositiones omissae.

In eum vero, quem nunc auspicamur annum haec ad certandum argumenta ab Ordinibus sunt proposita.

Ab Ordine Theologorum:

Quaestio instituatur, ratione potissimum habita Usterii, an Paulus Apostolus in morte Christi satisfactoriam vim inesse docuerit.

Ab Ordine Iurisconsultorum:

Principiorum iuris civilis et criminalis de dolo brevis delineatio.

Ab Ordine Medicorum:

De vi nervorum in regundis secretionibus quum in sano tum in morboso corporis humani statu.

Ab Ordinis Philosophorum classe prima:

Comparatio sententiarum Platonis et Aristotelis et Ciceronis de elementis supremae in civitate potestatis.

Ab eiusdem Ordinis classe secunda:

Tribunorum plebis Romanorum historia inde a Tib. Sempronii Gracchi tribunatu usque ad Octavii Augusti principatum legumque et institutorum ad eos pertinentium rationis explicatio.

Ab eiusdem Ordinis classe tertia:

Theoria analyticogeometrica conchoidum, et quidem non solum Nicomedeae, ellipticae, parabolicae, hyperbolicae, sed etiam earum, quae, uti Delahire docuit (Memoires de l'Académie des Sciences, 1708.) datis basibus curvis construuntur.

His igitur in argumentis, optimi Commilitones, qui vestrum vires suas experiri, deque praemiis propositis contendere voluerint, eos rogatos volumus, ut quum caeteras quae certantibus scriptae sunt leges observent, tum commentationes suas intra nonum ab hodierno die mensem ad Ordinum Decanos deferant. Gaudebimus autem eo magis, quo plures ita ad istas quaestiones respondisse videbimus, ut iis vel praemia vel honorifica laudatio possit decerni.

P. P. pridie Cal. Novembr. a. MDCCCXXXV.